



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold


Lugd. Batav., MDCLXXV

Ethicæ Tractatus Secundus, De Virtutibus Vulgo Dictis Particularibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

nihil
gnan-
ra de-
per-
vaco
(hoc
est.)
face-
dmi-
id u-
, &
i vel
simé
nicu-
iosus
cenâ
nem
(pen-
quod
em,
& fa-
est.)
or, &
ium
ago,
hoc
me
reci-
t.)

ETHICÆ
TRACTATUS
SECUNDUS,
DE VIRTUTIBUS VULGO DICTIS
PARTICULARIBUS.



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF
PADERBORN
PADERBORN
WESTPHALIA



ETHICÆ

Tractatus secundus,
De Virtutibus vulgo dictis Particularibus.

PROOEMIUM.

Virtus una est atque unica: cum igitur plures virtutes dicimus, non existimamus, quod ipsa virtus secundum se, & abstractim considerata, pluralitatem admittat, sed mentem demittimus in considerationem officiorum virtutis, quæ sunt effecta, in quæ virtus propendet. Cum enim virtus sit propositum faciendi, quod jubet ratio (ut patet ex tractatu primo) hinc illa semper in factum aliquod propendet, quodque officium ejus dicitur. Officia hæc admodum diversa sunt: sæpe enim virtus propendet ad faciendum sumptum & ad hoc officium comparata, vocatur liberalitas; sæpe ad parcendum, & tum dicitur,

Proæmium.

citur frugalitas; sæpe ad alloquendum, jocandum, & tum comitas atque urbanitas: sæpe ad serio graviterque censendum, & tum gravitas severitasque: modo versatur inter secunda, & tum temperantia, modo inter adversa & tum fortitudinis nomine insignitur. Modo aliis atque aliis circumstantiis vestit quasi induitque, & accipit pro earum diversitate diversa nomina, ac velut totidem insignia: ipsa tamen in his omnibus una semper eademque est. Et particulares quidem virtutes sunt inseparabiles ab eo officio, quod virtus informat, necessario enim in eo reperiuntur. Particulares vero separari possunt, & dari potest officium virtutis, in quo hac aut illa particularis virtus non reperitur; ut in officio liberalitatis nulla elucet frugalitas, & vice versâ in hujus officio non illa. Cardinalibus vero destitui nullum potest virtutis officium. Sunt igitur virtutes Cardinales proprietates quedam virtutis in officium & opus suum exeuntis, quibus proinde virtus nunquam, quotiescunque officio aliquo suo ac munere defungitur, destitui potest: quæque autem virtus particularis accidens est virtutis

Proæmium.

in officium suum exeuntis, quæ proinde à virtute sic exeunte separari potest ac facile divelli, quæ melius patebunt ex sequentibus.

Virtutes Cardinales non sunt aliud rei, quam virtus exiens in officium quodcunque tandem. Virtutes autem particulares non sunt aliud rei, quam virtus exiens determinate in hoc officium vel illud; verum liberalitas est virtus exiens in sumptus: frugalitas est virtus abstinens à sumptu: considerantur tamen aliquando etiam virtutes particulares ut priores officio, & non tam ut exeuntes, quam ut exitura, si occasio ferret, adeoque liberales etiam dici possunt, qui jam sumptum nullum faciunt (facturi si occasio ferret, si materia vel seges suppeteret, essentque & quæ & quibus darent) & frugales qui jam sumptus magnos faciunt (non facturi si res aliter se daret) atque hac Ratione viro bono omnes virtutes particulares competunt: estque & fortis & temperans, simulque & comis & severus, idemque liberalis & frugi &c. Sed juxta priorem Rationem vir bonus habet sæpe unam virtutem particularem (cum nempe unum aliquod virtutis officium

A 3

exse-

Proæmium.

exsequitur) aliis vero quibusdam caret (quarum scilicet jam non obit officia) posterior acceptio melior est & magis propria: non enim satis proprie dicimus eum virtute aliqua carere, qui officium hoc, quod virtus illa prestare debet, eo quod materia vel instrumenta deficiant, non exsequitur: sicuti nec artificem arte sua destitutum esse putamus, cum instrumentis artis suæ vel materia, in quam agit, destituitur: pictorque adhuc videtur, qui penicillo, tabulâ & coloribus caret: idem est de viro bono, & liberalis est etiam tunc, cum nec quid, nec cui det, habet. Habet igitur hic Tractatus secundus partes tres: sed si & quatuor paragraphos partem esse volueris, quatuor erunt. Pars I. De Virtutibus particularibus in genere, quæ primis 4. §. §. continentur. Pars II. De Virtutibus particularibus circa nos, nempe temperantiâ & fortitudine. Pars III. De Virtutibus particularibus circa Deum, pietate scilicet & religione. Pars IV. De Virtutibus particularibus alium quemcunque hominem (proximum vocant Christiani) de justitiâ & equitate.

§. I. Virtus



§. I. *Virtutis Officium.*

Officium Virtutis est objectum obedientiæ seu factum illud & opus in quod virtus inclinatur: virtus enim est propositum faciendi; factum, quod ex isto proposito manat est obedientia: factum ipsum nobis Officium vocatur; si qui alii aliter hoc sumpserunt, morari nos non debet, desinienti hoc jus est quid quoque nomine significatum velit indicare, etiamsi alii forte alia significari voluerint.

Ex hac definitione Officii patet ipsam Virtutem inter Virtutis Officia esse: nam ex proposito faciendi, quod jubet Ratio; facimus ipsum propositum faciendi quod jubet Ratio, & sicut delectatio, qua aliquid nos delectat, ipsa per se delectat: sic propositum, quo facere aliquid constituimus, ipsum per se propositum nobis est: unde magnopere cavendum hic ne ante propositum illud, quo virtus continetur, illecebras aliquas & velut incitamenta aliqua nobis fingamus, quibus nos alliciat invitetque Ratio ad propositum tale, quo constituamus facere, quod jubet Ratio; hoc est enim Virtutem ex *φιλαυτία* suspendere,

& omnem evertere, & ad eam, quam tanto studio primo Tractatu exclusimus, deficere; illecebræ enim & invitamenta quæcunque non aliud procreare possunt, quam amorem & passionem; quicquid ex hac amore fit, peccatum est, & ad intemperantiam pertinet ut §. de temperantia mox videbimus. Virtus ergo si illecebras illas & invitamenta Rationis præsupponat, quibus Ratio nos invitet ad obediendum sibi, necessario ipsa ad libidinem & intemperantiam pertinebit, hoc est, virtus non erit virtus sed vitium, quod perquam absurdum est. Propositum igitur obediendi Rationi est primum, & ex se ipso quodammodo nascitur, ipsa tota virtus, & Virtutis etiam quoddam Officium est.

Ex dictis etiam facile liquet, Officium quoddam Virtutis internum esse, quod in mente seu animo absolvitur; aliud externum, quod extra mentem in corpus, aliasque res se diffundit: etiamsi enim in res externas nihil agere possimus (quod in nostri inspectione didicimus) tamen virtus subinde jubet quantum ex parte nostra possimus (id enim efficaciter velle) aliquid, quod ad res externas attinet: ut satis patet in Obligationibus comedendi, &c.

Sequitur etiam facile ex dictis Officium

cium ejus aliquando informatum esse Vir-
tute: aliquando vero informe & Virtute
velut vacuum: sic V. G. effuse dare &
sumptum magnum facere Officium est li-
beralitat̄is: sed non semper à liberalitate
informatur, ast sæpe à prodigalitate (nam
& prodigi effuse largiuntur & sumptum
multum faciunt) sæpe ab ipsissima avaritia
(nam & dant sæpe ut plura des) sæpe à va-
nitate, & jactantiâ, aliove vitio.

Officium Virtute vacuum subinde
ab indole seu ingenio, subinde à casu seu
fortuna, subinde (& hoc frequentissimum
est) à vitio aliquo informatur: sic multi
abstinent injuriâ & sævitiâ, quia naturâ
molles, mites & ad miserationem proni
sunt (hic Virtutis Officium Virtute vacat
& informe eatenus est, informatur vero
ab indole & inclinatione naturali) quidam
liberales in quosdam casu & fortuna, cum
quod relinquere debebant moriendo, in
eos per hereditatem transtulerunt (hic
Virtutis Officium obit fortuna) de vitio
autem quomodo Virtutis expleat aliquan-
do partes jam diximus.

Officio deficium opponimus (liceat
sic vocare) estque factum illud & opus, ad
quod peccatum inclinat. Patet autem fa-
cile, & Virtutem in deficio, & peccatum in
Officio

Officio subinde reperiri; illa quidem per ignorantiam (ut cum filius patrem comilitonem occidit in bello iusto putans esse hostem.) Hoc vero per simulationem, malitiam & perversitatem (ut cum large donat quis, ut avaritiam suam tegat.

§. 2. *Virtus Individua.*

Individuum est, quod dividi in partes non potest: Virtus ergo Individua nobis dicitur, quia una Virtus sine alia esse non potest, sed necessario, ubi una est, ibi omnes, ubi una aliqua non est, ibi nulla.

Quod quidem in Virtutibus Cardinalibus clarissimum est, de iis enim demonstravimus, quod quotiescunque Virtus in Officium suum tendit, necessario quatuor hisce comitatum esse, diligentiam, iustitiam, obedientiam & humilitate. De Virtutibus particularibus non perinde liquet; quinimo falsissimum hoc Stoicorum dictum esse videtur, quod hic amplectimur, unum particularium Virtutum sine aliis esse non posse, quod enim absurdius populo videtur, quam eum qui comis & facetus est, castum etiam & pium & religiosum esse debere: nec posse eum, qui gravis ac severus est, avarum & fordidum esse

res

res tamen ita se habet, & populo tantum officit præjudicium, dum Officium cum Virtute confundunt: quæ diversa tamen sunt, ut liquet ex præcedentibus ubi ostendimus non alterum modo ab altero. (quod ad distinctionem satis est) sed utrumque ab altero divelli & separari posse: nam & Officium Virtutis sæpe sine Virtute, & Virtus sæpe sine Officio, imo cum deficio reperitur, ut satis demonstratum. Hoc ergo movet populum cur putent urbanum esse eum qui castus non est, quia sæpe vident, aliquem urbanitatis Officium explere, qui castimoniam Officium deserat, quod nos non negamus, sed luce meridiana clarius esse diximus; at vero consequens inde esse ut urbanitas à castitate divulsa sit, hoc pernegamus. Nam is, qui in casu posito urbanitatis Officium exsequitur, castitatis non item, is sicuti castus non est, sic nec urbanus, & Officium urbanitatis apud ipsum informe est, & urbanitate illâ, quæ vera Virtus est, vacuum. Cur enim partes urbanitatis explet ille? Anne quia Ratio hoc suadet? Nihil minus: Ratio enim etiam suadet, & æque suadet castitatis partes explere; proinde si Ratio eum movet, nihil causæ est, cur alteras amplectatur, alteras deserat. Non est ergo Ratio, quæ

quæ ipsum ad urbanitatis Officium impu-
lit, sed libido: seu urbanus fuit quia hoc
esse placuit, non vero quia Ratio jussit, hæc
perinde castum esse jubebat, quod ipse esse
noluit.

Itaque si duobus mihi perinde ab a-
mico commendatis, si uni operam meam
addicam, alterum deseram, non amici
commendatio causam dedit huic operæ
meæ, sed selectio & arbitrium meum: sic
duabus nobis à Ratione Officiis injunctis,
si alteram quidem exsequamur, alteram
deseramus, executionem illam non Ra-
tio sibi vindicat, sed libido & beneplaci-
tum nostrum. Igitur nec in executione
illa Virtus est, seu amor Rationis, sed libi-
do seu *φιλαυλία*. Ratio igitur generalis,
cur Virtus nulla ab aliâ Virtute develli
possit, hæc est, quod certissimâ Ratione
convincamur Virtutem illam, quæ ab aliâ
divelleretur, non Virtutem fore, sed libi-
dinem, quæ ex jam dictis clara sunt: præ-
judicium, quo ante cum populo labo-
rabamus, excutiemus facile, adhibita
bona inter Virtutem & ejus Officium di-
stinctione, quæ quidem distinctio clari-
sima est omnibus perceptu; sed homines
(ut plerumque alias) magis laborant hic
inadvertentia, quam ignorantia.

§. 3. *Virtus Æquabilis, id est Virtutes omnes inter se sunt Æquales, nulla est aliã major minorve.*

Paradoxum ingens populo, quasi (inquiunt) non majoris Virtutis sit patrem servare, quam servum; rempublicam à servitute vindicare, quam civem unum: sed errant hic iterum propter confusionem eandem, nempe Virtutis Officium cum Virtute confundunt: majus ergo Officium esse diximus patrem servare, quam servum &c. Majorem Virtutem pernegamus: majora sunt ista, quam hæc Officia, ideo quia magis urgent, & posito casu, quo alterum deserendum sit, potius hoc quam illud deserendum erit: Veluti si naufragio facto pater simulac cum servo cum aquis & morte luctentur, unus vero tantum eripi & salvari possit; quis dubitet servum deserere, patrem salvare?

Etiam si vero Officia Virtutis alia quædam majora urgentioraque sunt aliis, alia tamen Virtus alia Virtute non major: si enim hoc foret, minor Virtus non Virtus, sed vitium esset: incumbit enim nobis facere quam optime possumus (nemo id negat, nisi qui se à lumine naturæ manifestè aver-

avertit) Si ergo quid minus fecerimus, in vitio erimus. Res est manifesta: pater sit in periculo, atque servus (ut jam ponebamus) si patrem salvare major, servum minor Virtus sit; erit ergo hæc Virtus verissimum scelus. Nam servare servum, patrem deserere nemini non scelestum atque nefarium videbitur: hoc vero quam absolum Virtutem aliquando vitium fieri concedere; pari pacto concedere lucem aliquando esse tenebras, calorem frigus.

Officium vero Virtutis aliquando a vitio informari, imo sæpius ita fieri, nil mirum videri debet nobis, §. I. id jam luculenter edoctis. Cum ergo etiam exemplo ante-posito patrem salvas & servum deseris, non majorem Virtutem amplecteris, sed scelus relinquis: sin contra servum liberas, patrem deseris, jam quidem minoris Virtutis Officio defungeris, sed Officio informi, à Virtute vacuo, & scelere pleno. *Ita ut loco Virtutis minoris scelus committas.*

Et certe non potest esse dubium aliquod de æquabilitate Virtutum, bene perpendenti, nihil juris in Virtutem esse fortunæ: si enim alia Virtus aliâ Virtute major sit, à fortuna pendeat necessum est: optimusne sim an paulo deterior; mihi enim occasio est servum salvandi, patris non

non item (hic enim in periculo nullo ver-
satur) tibi occasio salvandi patrem, libe-
randi rempublicam, quod mihi privato
non licet: tu ergo casu, fortuna, *occasione*
melior eris me: non ergo per Virtutem
melior eris; non ergo me melior eris (Vir-
tus enim sola est, quæ & bonum & melio-
rem, & quicquid hic gradus est, efficere
potest, fortuna hic nihil valet) vides ergo
quam absurda sint hæc, quæ sequuntur,
nempe me melior eris, sed nulla tua Vir-
tute: adeoque & melior eris & non me-
lior, quod pugnat.

Est vero hæc persuasio, qua popu-
lus persuasum habet Virtutes alias esse ma-
jores alias minores, quam perniciosissima.
Hinc enim incipiunt Virtutem cum bonis
fortunæ æstimare, quâ persuasione con-
firmatâ, jam tota Virtus profligata est, in-
cipiuntque nobis magis probi videri, qui
magis fortunati sunt. Hoc est totam Vir-
tutis Rationem evertere: sive igitur pa-
triam liberet vir bonus, sive domi suæ cum
amicis suis urbanus sit & facetus, æquè
bonus est: majus quidem illud & *gravius*
Officium quam hoc. Non etiam major
Virtus, utpote cujus tota essentia atque na-
tura in hoc uno absolvitur, efficaciter
volo id unum facere, quod jubet Ratio.

b

Virtus

Virtus est amor Rationis : Sive jam Rationem amo in hoc aut in alio Officio, manet mea Virtus amor Rationis ; & licet patrem salvum faciam , licet servum, licet patriam liberem , aut quodcunque fungar Officio, fungor semper ex amore Rationis, qui cum in uno Officio non major est quam in altero , Virtus etiam in uno non major est , quam in altero. Virtus etiam est propositum faciendi quod jubet Ratio: sive jam in hoc , sive in alio quodam veteri Officio , propositum meum majus esse non potest , sed propositum manet.

§. 4. Virtus Una.

Hoc axioma complectitur duos præcedentes : nam si Virtus Una sit atque simplex , necessum etiam individuum esse , nam dividi non potest , quod unum est. Potest tamen individuum esse, quod non est unum : si nempe omnes ejus partes seu particulares Virtutes ita inter se arcte cohærent, ut divelli à se invicem , distrahique non possent, quæ & Stoicorum mens fuisse videtur : quorum hoc scitum est Virtutes omnes catenæ in morem connexas esse , alteram ideo sine alterâ non acquiri , qui vero unam adeptus sit, ei nec cæteras

cæteras deesse : non plus ergo dicimus ; cum Virtutem unam , quam cum indivi-
duam dicimus. Similiter ex unitate Vir-
tutis etiam æquabilitas ejus sequitur (u-
num enim idemque sibi quam maxime
æquabile est) sed ex æquabilitate non vi-
cissim unitas efficitur.

Unam vero tantum esse Virtutem
satis manifestum est ei , qui rite Virtutem
inter ac Officia ejus distinxerit : seclusis
enim mente ac cogitatione omnibus à Vir-
tute Officiis, unum quid simplexque appa-
ret, quod in alia resolvi non possit, nempe
propositum faciendi quod jubet Ratio :
nisi enim propositum hoc in diversissima
tendat Officia (nam & ad dandum subinde,
& subinde ad retinendum , ad loquendum
modo, tum ad tacendum , modo ad comi-
ter & festive se habendum , modo ad gra-
viter & severe se gerendum inclinatur) ta-
men idem atq; unum simplex in omnibus
illis respicit , nempe executionem Ratio-
nis: seu etiam si diversa sint istius propositi
objecta materialia (ut Scholæ loquuntur)
unum tamen simplex est objectum for-
male, seu una atque simplex causa mo-
vens, nempe ut fiat id , quod Ratio postu-
lat. Sic idem amor est , quo pater fertur
& ad castigandum & ad consolandum fi-
lium

lium suum: etiam si enim castigare & consolare multum differant, tamen hæc objecta tantum sunt: motivum vero quo patet agit unum idemque est, atque adeo ut unum idemque elucet in utroque Officio amor: idem facile applicatur ad amorem illum, qui Virtutem constituit.

Cum igitur Virtus tantum una sit, solemus tamen Virtutes plures dicere: sed mentem reflectimus ad Officia Virtutis, diversasque circumstantias, in quibus Virtus reperiri potest (& ut omnes illas Virtutes particulares generali aliqua divisione complectamur, possumus Virtutem considerare, 1. Ut relatam ad Officia illa, quæ circa nos versantur (& in hac consideratione temperantiam atque fortitudinem invenimus) 2. Ut relatam ad ea Officia, quæ circa Deum versantur (& in hac consideratione deprehendimus pietatem atque religionem) & 3. Ut relatam ad Officia versantia circa alios homines (& in hac consideratione quam plurima reperiuntur Virtutis nomina, seu particulares Virtutes, V. G. liberalitas atque parsimonia; generositas atque modestia, comitas atque gravitas, clementia, justitia particularis, quæ & in contractibus, & in promittendis bonis, puniendisque sumptibus illucet;

et, multæque similes, quas longum esset hic recensere) omnes tamen commode referuntur ad justitiam & æquitatem, ut infra satis patebit. Per justitiam autem oportet intelligere non Cardinalem sed particularem, ut infra, quæ omnes particulares Virtutes non aliud sunt, quam una & eadem Virtus, Virtus in diversis circumstantiis reperta: nam idem propositum, quod inter secunda temperantia vocatur, inter adversa fortitudo, est inter dandum liberalitas, inter retinendum frugalitas, in rebus divinis pietas religioque, in rebus civilibus æquitas & justitia, & sic porro: ex quo etiam intelligis quod Tract. I. dicebamus, ubi de habitu dictum est, Virtutem totam haberi posse simul & semel, non opus esse longâ die, non multo Zephyro & hirundine multâ ut Virtutem consequamur: eam posse jam nunc hoc momento haberi, scil. ut quæ consistat in uno: faciam quod jubet Ratio.

§. 5. Temperantia.

Temperantia est Virtus inter res secundas deprehensa: cum enim inter res secundas conexistens, prodit in Officium suum Virtus, quatuor suis proprietatibus (vulgo Cardinales nominant Virtutes) stipata. Hoc ipso nullo alio accedente induit

duit Rationem temperantiæ: nam quinter res secundas, cum omnia fluunt ex voto (ut dicere solemus) firmum efficacique propositum habet id unum faciendi, quod jubet Ratio, atque ex eo proposito diligenter semper auscultat, quid mandet Ratio, idque ubi perceperit exsequitur, nunquam; id exsequitur, omni suâ curâ & contemplatione dimissa: intelligitur hoc ipso temperantissimus homo esse. Ex his clarissime patet frustra fingi novam aliquam Virtutem ultra quatuor istas Cardinales, quæ sit Temperantia, & quæ speciale hoc Officium habeat, ut res secundas moderetur (qualiter in Scholis fingi solet) videmus enim ex iis, quæ præcesserunt quam clarissime, si Virtus modo cum quatuor illis Cardinalibus, quæ deferere illam nunquam possunt, inter res secundas ponatur hoc ipso & nullo alio externis adveniente, induere perfectissimam Rationem temperantiæ, idque præcipue propter Humilitatem ei adstantem: ut non immerito etiam definiri Temperantia possit: *Humilitas inter secunda: sicut & Fortitudo non aliud est, quam Humilitas inter adversa.* Qui ergo Particulares illas Virtutes inducunt, atque inter se distinguunt, *enmultiplicantentia sine necessitate.*

Res secundæ sunt, quæ delectationem seu voluptatem conferunt: possuntque in classes aliquas memoriæ causa dirigi.

I. Classis pertinet ad corpus, atque res secundæ illius generis voluptatem adferunt corporalem, in quo numero primum est sanitas & bona valetudo corporis, quam sequuntur robur & pulcritudo, vigorque omnium sensuum, & ad motum ac exercitia agilitas & expeditio membrorum: quæ omnia sine dubio magnam nobis adferre solent voluptatem, imo sine his, quamdiu hic in corpore versamur, & homines sumus, vix potest esse aliqua sincera voluptas, cui non aliquid admisceatur tristitiæ. Ne tamen existimes felicitatem sine his Viro Bono competere non posse: non idem est lætari seu deliciis affluere & beatum agere: beatus ille est cui ex animi sententia cuncta succedunt, qui nec agit nec patitur quicquam secus quam vult; quod fieri potest etiamsi dolor forte & passionibus aliquæ, Timor, Tædium &c. Voluptatem (quæ alioqui Felicitatem consequi solet) interturbent. (Plura de his ubi de præmio Virtutis, & nominatim de ipsa Felicitate dicitur.)

II. Classis ad animalem voluptatem pertinet, in qua recensentur primum *Pastus* &

b 4

Venus

Venus (hæc enim nobis ut animalibus competunt) quo etiam reduci possunt ea quæ ambigunt quodammodo inter hanc & proxime sequentem classem, nempe suffragium, musica & spectacula seu amœnitas: cum enim duo priora ad gustum & tactum referantur, hæc posteriora pertinent ad reliquos sensus.

III. Classis continent eam, quæ pertinet ad humanam voluptatem, in qua præcipue elucet dignitas & potentia: Dignitas in honoribus, Officiis ac muniis publicis, aliorum existimatione & famâ, reverentiâ, assurrectione, delatione, cessione & similibus punctis consistit. Potentia vero in opibus, maximè gratiâ, & amicorum numero, & populi favore consistit.

IV. Classis continet ea, quæ conferunt voluptatem spiritualem, in quibus sunt Virtus & sapientia: ad Virtutem spectant etiam actiones probæ, Officia atque exercitia Virtutum; ad Sapientiam disciplinæ omnes, artes & scientiæ revocantur. Atqui hæc sunt quatuor classes rerum secundarum per se: per se enim & propriâ quasi vi injicere nobis magnam delectationem ac voluptatem solent, præsertim ea, quæ posterioribus classibus continentur. Nam & voluptates Spirituales humanis potiores

res sunt, & hæc animalibus, & animales corporalibus, ut cuique nostrum conscientia & experientia notum est.

Dantur vero quædam etiam per accidens secundæ; quæ non vi suâ sed consuetudine vel persuasione voluptatem conferunt: quæ enim facere consuevimus, ea etiamsi subinde molesta potius quam jucunda sint, tandem tamen iuvat facere. Ut qui aliquoties in Indiam per summa pericula tempestatem, ac terrores, gravissimaque incommoda navigarunt, iterum iterumque navigare eo volunt: similiter persuasio potest rem aliquam nobis jucundam reddere, quod sæpe contingit in cibus, ut videmus puellam illam, quæ ad Alexandrum Magnum adducebatur, esu aranearum admodum fuisse delectatam.

Igitur hisce rebus secundis vel omnibus vel parte bonâ earum affluentibus, constare tamen Ratione, nihil, propter voluptatem, quam nobis adferunt, facere vel omittere, sed omnia sua Officia ex Ratione metiri, hominis est Temperantis.

Dicunt Peripatetici temperantiæ esse voluptatem moderari, sed quam falsi sunt tunc patebit, cum de passionibus dicemus.

Hoc solum est hominis Temperantis.

b s

nega-

18 *Intemperantia & Stupor*, §. 6.

negative se habere erga voluptatem, & ejus causâ nec facere quicquam nec omittere.

§. 6. *Intemperantia & Stupor.*

Virtutes præsertim particulares constituunt mediæ inter duo extrema vitia, quorum alterum per excessum, alterum per defectum abit à medio Virtutis, ut ostendimus Tract. 1. Temperantia in excessu Stupor, in defectu Intemperantia opponitur, licet invertat hæc fere vulgus Ethicorum, sed errant, ut videre potes loco citato.

Intemperantia est prosecutio voluptatis; Stupor est fuga voluptatis: Temperantia vero est, neque prosequi, neque fugere voluptatem, sed solo Officio & Ratione moveri: est igitur Stupor nimia Temperantia (hæc Temperantia enim negativè voluptatem contemnit, ille Stupor etiam positive) Intemperans parum Temperans est (hic enim voluptatem affectat, quam Temperans contemnit.)

Intemperantia imprimis duæ sunt species, Cupiditas & Intemperantia strictè dicta: Cupiditas prosequitur voluptatem absentem; *Intemperantia fruitur præsentem*, eique

eique se totam addicit. (Hac Intemperantiam divites, & qui vulgo felices videntur (id est, rebus secundis affluunt) plerumque laborant, illam Intemperantiam pauperes & qui cum rebus adversis conflantur, plerumque laborant: unde, apparet etiam inter res adversas Intemperantiam esse posse, & quidem maximam tunc esse solere, nempe immensum desiderium & Cupiditatem rerum secundarum: adeoque & Intemperantiam quodammodo tunc vigere posse. Boni enim inter res adversas hoc ipso, vel maxime Temperantes sunt, quod res secundas non desiderant (non etiam fugiant: Apage perversissimam illam aliquorum Temperantiam) sed tantum Obligationem suam amplectantur, eamque contenti sint. Sed jam difficultas tibi suboriatur, quomodo ergo Temperantia definita, sit *Virtus inter secunda*; cum jam concedamus, Temperantiam etiam inter adversa esse posse, itemque quod modo in Proximo Tract. 1. expressisse dicebamus: *nam inter adversa, nullus est locus Temperantiae: inter secunda Fortitudini nullus.* Non est tam facilis responsio, quam primam fronte aliqui videretur: nam Virtus etiam tunc

b 6

inter,

20 *Intemperantia & Stupor*, §. 6.

inter secunda versatur, cum mente cogitationeque circa illa forte versatur (etiam si forte res secundæ illam de facto non deliniant, seu eas ipsa non possideat, tunc vero Virtus induit Rationem Intemperantiæ, nihil rerum secundarum, quæ forte animo occurrunt, Cupiendo. Ad hæc magis etiam Intemperantiæ nomine venit, eaque, quæ inter res secundas fruendo versatur turpitudine, quam quæ inter adversa secunda desiderat & affectat: atque adeo etiam Temperantiæ magis sonat, Virtutem inter secunda versantem, & his minime fruentem, quam Virtutem inter adversa constitutam & secundas res contemnentem.)

Item pro diversitate rerum secundarum, diversa sunt Intemperantiæ nomina; nam quæ circa robur Valetudinem & his similia, quæ nobis ut vegetantibus competunt, versatur, stoliditas vocatur (sic Agrippam robore corporis stolide ferocientem Tacitus dicit) quæ circa pastum & Venerem versatur Intemperantia brutalis & bestialis dicitur (quam fere Intemperantiam solam agnoscunt Scholæ;) nam cæteras honestas ferè voluptates esse cœpiss; propter illam aliquid facere, cujus-

cunque

cunque illud sit generis, semper turpe est) quæ circa Musicam, Amœnitatem, Fragrantiam versatur, Intemperantia animalis dici potest; subinde etiam humana dicitur (& in ea ferè nihil turpe vulgus videt, neque unquam ipsum istius Intemperantiæ pudet, ut bene notat Epicurus, qui & inde patrocinium petit suæ sectæ) quæ vero circa potentiam & dignitatem Intemperantia est, Humana merito vocatur, & posterior quidem harum ambitio etiam dicitur, prior Avaritia vocari potest, nomine illo generalius sumpto: quæ circa scientias & cognitionem rerum Intemperantia versatur, curiositas dicitur. Quæ circa Virtutem & ejus exercitia, Vanitas.

Stupor fere in quatuor classes distribuitur: nam quidam summus seu Hypercynicus (qualis est eorum, qui, tantum abest ut voluptatem sectentur, ut cruciatus etiam atque dolores sibi gratis accersant, de quibus aliquid circa Humilitatem Tract. 1. annotavi) proximo & inferiori gradu succedit Stupor Cynicus (nam Cynici & delectationem & res delectabiles pariter oderant: Rhetoricam, Poësin, Musicam, Picturam, & omnia talia, quæ ad voluptatem facerent amandabant) hic ergo Stupor Stoicus (hi enim res delectabiles

22 *Intemperantia & Stupor, §. 6.*

les non oderant, quin imo eas amplectan-
das aliquando, cum Officii Ratio ita po-
stularet, fatebantur; sed voluptatem ip-
sam atque delectationem amoliebantur.)
hic ergo Stupor res delectabiles admittit,
delectationem excludit: Quarto loco
consistit Stupor Peripateticus (hi enim ne-
que res delectabiles neque delectationem
ipsam oderant, affectabant potius; sed
partem illam voluptatis, quæ excederet
& nimis magna videretur, *refecandam pu-
tabant.*) (Peripatetici igitur manci, &,
defectivi Stoici: Stoici voluptatem &
generatim Passiones omnes eliminandas
esse contendebant, seu mactandas; Pe-
ripatetici tum illam, tum has circumci-
dendas & mutilandas esse volebant:))
quod vocabant: *Moderari Passiones*, id,
est, partem aliquam illis detrahere.) Hic
ergo Stupor omnium minimus, res dele-
ctabiles & delectationem admittit; hanc
tantum moderatur & circumcidit. Con-
tra vir Temperans, nec dolorem sectatur,
nec res delectabiles abarctet, nec delecta-
tionem in totum aut pro parte tollit; sed
his omnibus relictis ut sunt, & nullo nu-
mero habitis, agit id unum quod jubet
Ratio.

S. 7. For.

§. 7 Fortitudo.

Fortitudo est Virtus inter adversa: adversa sunt, quæ dolorem afferunt: nomine doloris etiam Timor, tristitia & generatim omnis affectus male nos afficiens intelligitur.

Res adversæ in totidem classes dividuntur, sicut ante res secundæ divisæ fuerant; unde morbus & imbecillitas, & inopia, infamia, ignorantia, error seu deceptio, peccata, inquieta conscientia &c. Sunt inter res adversas, quæ omnia facile intelliguntur ex iis, quæ de rebus secundis dicta sunt: oppositorum enim eadem est scientia, ut qui unum eorum novit, alterum hoc ipso satis videtur novisse.

Dividitur Fortitudo in patientiam & Fortitudinem strictè dictam: Patientia est Virtus inter adversa quæ incumbunt; Fortitudo inter adversa, quæ imminet: adversa enim cum imminet, Timorem, horrorem & desperationem incutiunt; cum vero adsunt & incumbunt, Tristitiam, Afflictionem & Calamitatem injiciunt, quando contra animi nostri sententiam adsunt, ut plerumque contingit in malis: hi enim res adversas iniquo animo ferre solent, vellent-

vellentque eas abesse, in quâ pugna voluntatis consistit Calamitas : nam hæc nihil est aliud , quam pugna inter rem quæ est , & voluntatem, quæ non vult ut ea res sit : bonis autem res adversæ nunquam Calamitatem injiciunt , nunquam enim eorum voluntas pugnat cum rebus , seu cum Deo : nunquam nolunt esse , quod est ; itaque his quidem dolores , Timores, Tædia, tristitias & similes sensus atque passionnes injiciunt subinde res adversæ, sed nunquam Calamitatem : nam ipsi quidem illi sensus atque passionnes Calamitatis loco esse non possunt , qui nunquam his voluntate suâ repugnant , nunquam nolunt ut hæc sint , hoc unum nolunt, peccare ; hoc unum volunt legi Divinæ obedire ; quæ extra hæc sunt , in adiaphoris habent, nec nolunt, nec volunt ea. Notandum autem est, ideo illos sensus atque passionnes vulgo Calamitosas videri , quod soleant eos vulgo iniquo animo ferre , & voluntate suâ obniti ac reluctari ; quod cum non facis amplius , nihil etiam reperies in his Calamitatis (infra latius tibi de præmio Virtutis , & præsertim de Felicitate) Timorem ergo atq; tristitiam Fortitudo spectat, non ut moderetur illa (ut Peripatetici) aut expellat illa (ut Stoici volunt) sed ut nega-

negativè se habeat ad illa, & eorum contemplatione nec agat quicquam, nec ommittat. Est igitur vir ille Fortis, qui inter res adversas (carcerem, inopiam, exilium, solitudinem, orbitatem, infamiam, imo etiam peccatum & perturbatam conscientiam) id unum agit, quod jubet Ratio, ei soli auscultat, ei soli paret, nullâ sui curâ, studio aut sollicitudine ducitur, non vero ideo fortis esse desinit, quia instante periculo & imminentibus rebus adversis (puta naufragio aut capitali supplicio) expallescit, tremit, & totis artibus concutitur (ut male persuasum habet vulgus, & Stoici hac in parte nimis quam vulgares Philosophi) nam metu concuti & perterreri, nec bonum est nec malum in genere moris; malum tantum est in genere quodammodo naturæ, quâ male nos afficit; Ast vero metu impellente aliquid facere aut fugere, aut ejulare, aut aliter Officium deserere, cum ad Passionem ista non pertineant, sed ad actionem consensumque nostrum, hoc vero turpe est, flagitiosum & molle.

Sed nec ille etiam fortis est, qui imminentibus rebus adversus non angitur, non metuit, sed constat sibi, aut præsentibus rebus adversis non dejicitur, non tristis est.

est, non lacrymatur; possunt enim hæc aliunde, quam à Virtute proficisci, velut ab ingenio duro, vel consuetudine malorum, quâ contra Fortunam & casum quemcunque obduruerit: poterunt à Jactantia, vanitate, gloriæ studio, metuque Ignominia proficisci. Igitur exterior ille apparatus ad Fortitudinem nihil, hæc se in animum tota recepit, hæc in proposito faciendi id unum, quod jubet Ratio, consummatur: cæterum in rebus tristibus Bonis viris etiam lacrymæ excutiuntur sæpe; sæpe minime: inter res timendas sæpe expallescunt, sæpe minime: omnia hæc promiscua & nihil pensi hic habent: pallefcant, non pallefcant, lacrymæ excidant, non excidant nihil id suâ referre putant; id unum curant, id unum viribus omnibus satagunt, nihil ut committant, nihil ut in se admittant, quod Ratio vetuerit: Hæc similia dicantur in materia Temperantiæ, nempe non desinit Vir Bonus esse Temperans, etiamsi cor ei saliat, lætitia gestiat & totus vultus & oratio miram hilaritatem, alacritatemque spirent: nec etiam ille Temperans est, qui inter secunda lætitiam cohibet, hilaritatem suppressit, & quasi strangulat, possunt hæc similiter ut in Fortitudine dictum est, à vanis animi cupiditatibus proficisci.

§. 8. Furor & Mollitia.

Furor in excessu, Mollitia in defectu est, & hic Scholæ mecum consentiunt. Furor prosequitur quodammodo dolorem, Mollitia fugit: Fortitudo consistit in medio, & nec fugit nec prosequitur illum, sed curat Rationem, & ei soli vocat, dolorem in nullo numero habet, quantum scilicet ad animi sententiam attinet, nam quantum ad sensus, ad passiones vidimus §. præcedenti, quomodo vir fortis ab illis urgeri possit.

Dolorem quidem nemo quatenus dolor est sectari videtur: nam Boni negative se habent adversus illum, mali fugiunt, tantum abest ut ipsum prosequantur; sed videmur dolorem tunc etiam prosequi, cum in res illas sine causâ præcipitamus, quibus ille annexus est; cum tamen sub dolore etiam timor hic veniat (ut præcedenti §. monuimus) videntur quidem ipso timore & periculo gestire: habet enim præsertim apud juvenes illos audaculos & bellicosos aliquandiu se timor, quo quasi titillet mentem, & miro quodam afficiat modo, quo delectari subinde quidam videntur; sed delectatio illa non tam videtur
ex

ex ipso timore, quam spe, quæ ei adjungitur provenire. Simile quid etiam locum in dolore strictè dicto & tristitiâ, quidam enim effusi in gemitus & lacrymas, consolationem nullam admittunt, & videntur ipsâ suâ tristitiâ delectari. Ex his interim divisio aliqua furoris desumi potest, nempe in eum, qui ipsum dolorem amplectitur (potestque vocari furor strictè dictus, vel doctrinæ causâ in res dolorem conferentes, nullo ergo ipsum dolorem affectu (potestque vocari Temeritas, vel Inconsiderantia) aliter etiam Furor dividitur, comparatione factâ ad Fortitudinem strictè dictam & Patientiam: nam qui in excessu patientiæ Furor est, prosequiturque seu ipsam tristitiam, si id fieri possit, seu res eam conferentes, Immanitas vocatur: ut Immanes illi sunt, qui seipsos cadunt aut occidunt, aliterque res tristes sibi accersunt; is vero, qui ad Fortitudinem strictè dictam in excessu Furor est, gaudetque vel periculo ipso & Timore, vel rebus periculosis, ambiguis & metuendis, Audacia vocatur: unde audaces illi, qui magna tempestate mari se sine causâ committunt, aut in culmine turris se consistunt, aut inter pugnas & digladiationes temulentorum se interponunt, pruriuntque quodammodo

modo istis periculis, aut Jactantiâ & Vanitate in illa feruntur.

Mollitia vero simili aliquo pacto dividi potest; nam ea quæ ad Patientiam in defectu est, Impatientia vocatur: ut illi, qui propter præsentem aliquam afflictionem à Rationis præscripto deficiunt, partes, quæ iis incumbunt, non explent, deditâ operâ lacrymis, querelis & gemitibus se tradunt, Molles & Impatientes dicendi sunt: Ea vero Mollitia, quæ ad Fortitudinem strictè dictam in defectu est, Timiditas & Pusillanimitas, Ignavia Vecordiaque vocatur: sic Vecordes & Timidi illi, qui metu perculsi stationem suam deserunt, nec auscultant, quid Ratio, sed quod Timor suadeat, & huic parent.

Sed bene notandum est, omnia hæc vitia, cum non in fronte tantum & in cute, quod dici solet, sed intus etiam & penitus inspiciuntur, ad Intemperantiam pertinere; quod adeo verum est, ut Stupor etiam, qui quam longissime ab Intemperantia recedere videtur, re bene examinatâ, non alio, quam ad Intemperantiam referri posse videatur. Semper enim pellice aliquâ delectatione & Voluptate feruntur homines, quotquot à Rationis rectâ semitâ declinant; Voluptate autem agi, hoc

hoc ipsum est esse Intemperantem. Igitur qui se ipsos cruciant, cædunt imo & occidunt, semper Voluptate aliqua ad id agendum pertrahuntur & recte dixit ille:

— *Trahit sua quemque Voluptas.*

§. 9. Pietas.

Pietas est Virtus inter res Divinas; Virtus inter res nostras seu inter res secundas nobis vel adversas, Temperantia est, vel Fortitudo (ut vidimus) sed si generali nomine hæc exprimenda sit, non nisi Humilitas vocari poterit: & ut tamen distinguatur ab Humilitate illâ, quæ solum tenet inter Virtutes Cardinales, *Humilitas particularis* vocetur, aut si lubet, *Humilitas aperta*: Nusquam enim Humilitas seu incuria sui elucet ita, & tantopere quasi oculis notatur, quam in Fortitudine & Temperantia: Qui enim ex æquo res secundas atque adversas contemnit, quod fortis atque Temperantis hominis Officium est, is clarissime convincitur, nullâ sui curâ, sollicitudine, vel studio duci.

Sicut ergo Humilitas illa particularis & Patens inter res nostras versatur: sic Pietas generalis inter res Divinas: itemque sicut Humilitas duas habet partes, *Inspicere*

re se, & Despicere se, sic etiam Pietas duas habet partes, nempe *Inspicere Deum* & *Susplicere Deum*, seu venerari.

Inspectio autem Dei ex nostrum ipsorum Inspectione pendet: inspiciendumque semper eo, quod cælo delapsum est (ut Poëta loquitur) **NOSCE TE IPSUM.**

Inspiciendo autem nos ipsos Tract. I. didicimus, Primo nos ad humanam conditionem, arbitrato, electione, aut opinione nostrâ non pervenisse, non vi nostrâ delatos huc nos esse, sed ignaros (tantum abest ut Volentes aut Potentes) ex quo sequitur, quod alius quispiam & non ipsi nos homines fecerimus, qui proinde vere sit *Pater noster* seu *Pater hominum*, & cum quo Parentes nostri tantum rudem aliquam analogiam velut similitudinem habeant, ob quam etiam Pater & Mater vocentur. Vide Metaphysicam nostram.

Secundo vidimus Humanam nostram conditionem duabus partibus contineri, nempe actione, qua agimus in corpus cum quâdam ejus partes loco movere videmus, & Passione qua patimur & accipimus aliquid à corpore, cum scil. Ratione corporis diversissimas illas perceptiones, quas ad sensum passionesque referimus, patimur & accipimus. In utrâque autem
illâ

illâ parte, conditionem nostram ineffabilem esse deprehendimus: nec modum nos intelligere ullum posse, quo aut corpus ad Voluntatem nostram moveatur, aut nos à corporum extra nos existentium motibus, & præsertim ab illius corporis, quod nostrum esse dicimus, moveamur, diversissimisque perceptionibus quasi perfundamur: hæc ineffabilitas perfecte & ultimo recumbit in causâ humanæ conditionis, seu in eo, quem patrem nostrum esse mox vidimus.

Est igitur aliquis Pater hominum; & hic ineffabilis est, præstatque talia cum nos homines creat, quorum modum, seu quomodo illa præstet, intelligere nos non possumus, sed tantum intelligere possumus, eum nos modum intelligere nunquam posse; in quo perfecta & completa est Ratio Ineffabilitatis: Ineffabile enim est, quod esse quidem intelligitur, sed quomodo sit fiatque, intelligi ab humanâ mente non potest: debet enim intelligi & cogitatione attingi, quod ineffabile dicitur (alias enim nihil foret, nam *non intelligibile* seu *non cogitabile* & *nihil* idem sunt) sed modus ejus quo est, quo ve fit, latet nobis, nec intelligitur à nobis quod ita fieri posse, ipsa conscientia & intimâ experientia

scientiâ compellimur ad fatendum, ut qui homines nos esse sciamus, agereque quodammodo in corpus, & ab illo pati clarissime sciamus, consciique nobis simus; sed quomodo, profundissime nesciamus. Cunsule inter hæc 3. partem Metaphysicæ nostræ, seu Theologiam.

Inspiciendo nostram conditionem simul etiam facile discimus, quid sit mundus ille, in quem à Patre nostro missi sumus, nempe corpus in motu, & eum ipsum esse motorem illum, qui Pater noster est: fecisseque illum duos mundos: alterum extra nos, (cujus essentia & natura in extensione & diversarum extensionis istius partibus vehementissimis, diversissimis, ordinatissimisque motibus absolvitur:) alterum intra nos, longe pulchriorem & elegantiore, qui in diversissimis & maxime mirabilibus imaginibus ac speciebus lucis ac colorum infinitorum, saporum, odorum, sonorum &c. consummatur; denique vidimus eundem esse Patrem nostrum qui nos nascentes colligavit cum corpore, & morientes absolvit: quo nos tracturus, quid de nobis factururus in postremum sit, prorsus ignoramus, & modus ille rursus inintelligibilis, rursusque hic noster Pater ineffabilis est.

Est

Est itaque aliquis Pater nostrum, Creator mundi, Dominus necis, Ineffabilis in omnibus his operibus.

§. 10. Adoratio.

Adorationem hic generaliter sumimus pro quovis cultu Divino, quem Christiani Latriam vocant: nasciturque ejus Obligatio ex Inspectione Dei: sicut enim cum nos ipsos inspeximus, oritur mox Obligatio nos ipsos deserendi: sic contra cum Deum inspeximus, oritur mox Obligatio illum amplectendi: qui amplexus in his fere quatuor versatur, Adoratione speciatim dicta, Devotione, precibus & gratiarum actione.

Adoratio naturaliter suboritur nobis cum videmus aliquem præstare ea & efficere, quæ præclara sunt & bona, atque ita ingeniose inventa, ut modum quo ista fiant, percipere vix aut ne vix quidem valeamus. Sic Barbari adorant Mathematicos nostros, dum Eclipses prædicunt, aut Horologia & arte Staticâ confecta Automata, illis ostendunt, unde in Adoratione hæc interveniunt; Primo laus, quia præclarum est opus: Secundo, admiratio, & defixus quidam Stupor, cum Ra-
tionem

tionem & modum non intelligunt, quo opus illud paratum sit. Tertio, Agnitio dignitatis, qua opifices illos se digniores esse fatentur, utpote qui sapientiores sint, in quo est manifesta dignitas. Quarto submissio profunda, qua se utpote ignorantes, longe inferiores opificibus illis ducunt.

Ex quo clare patet Adorationem summam erga Deum adhibendam esse, nam & optima sunt atque præclarissima, quæ fecit, tum in nobis, tum in utroque mundo condendo (ideoque summa laude dignissimus hic est Deus) & modum penitus ignoramus, imo intelligimus nos illum nunquam posse capere, quod in Barbaris illis, de quibus mox dicebamus non habet locum (ideoque admirabilis atque stupendus supra omnem modum est Deus) & sapientia ejus maxime elucet in istis condendis, imo Sapientia incredibilis (agnoscendus igitur est dignissimus) & ignorantia nostra non minus manifesta nobis est (ideoque adhibenda Deo submissio nostrum, quam cogitari potest profundissima) & in his quatuor, quam Deo debemus, Adoratio absolvi videtur.

Devotio vero est servitus Dei, qua uni illi servire volumus: & ejuratis nobis, ei soli

soli sacramentum dicimus : unde est quasi Terminus ad quem (ut Scholæ loquuntur) Humilitatis : Humilitate enim à nobismet ipsis abimus, Devotione ad Deum imus. Et nota Devotionem hic aliter capi, quam vulgo solet. Hi enim scilicet vulgus intelligunt tenerum illum affectum, quo perfundi solent boni dum rebus divinis vacant, de quo Tract. 1. sub initio diximus.

Tertiam Patriæ partem constituunt Preces : oriturque earum Obligatio ex agnitione aliarum Obligationum nobis impositarum, simulque impotentia cuiusdam nostræ ; Potentia vero & Bonitatis Divinæ, qua videmus eum posse & velle etiam nobis dare ut Obligationibus nostris pares aliquatenus simus. Unde Deus ob nullam aliam causam usquam est rogandus, quam ut exsequamur Obligationes, quas ipse nobis mediante Ratione seu lege suâ injunxit : non licet enim petere, quod non licet velle : nullum autem bonum nobis qua tale, seu sibi stando, nec aliud quoquam illud referendo appetere aut velle nobis licet (ut Tract. 1. sæpius demonstratum est) equidem in præclarâ illâ precatiuncula, quam Christiani *Dominicam* vocant nihil aliud peten-

petendum proponitur, nisi quod ad Obligationes nostras pertinet: quod & per se patet, & pluribus, si quid forte dubii cuiuspiam sit, demonstraremus, si ea res fori nostri esset.

Gratiarum actio tandem duas amplectitur agnoscitque causas: nam Deo gratiæ agenda sunt, propter Obligationes impletas (quam causam etiam preces agnoscunt; sed eo discrimine, quod hæc ad implendas Obligationes, hæc ad impletas referatur) & quia quædam, imo infinita bona, jucunda, delectabilia, quæ res secundas ante vocavimus, nobis elargitus sit Deus (& hæc causa in preces non quadrat: Deus enim non est rogandus, ut res secundas quæ tales nobis impartiat,) gratiæ agenda sunt.

Hæc igitur sunt quatuor partes Latriæ, quarum quidem priores duæ oriuntur ex Inspectione Dei, quatenus auctor noster est: Tertia quatenus legislator, & quarta denique quatenus præmiator noster est, cum legem ejus impleverimus. Et sicut præcipua pars Pietatis non est Inspectio Dei, sed cultus, atque illa propter hunc tantum expetitur.

§. II. *Impietas & Superstitio.*

Vitium illud, quod Pietati opponitur, generali nomine vocari potest *Impietas*, sicut & illud, quod *Temperantiæ* opponitur, seu in excessu, seu in defectu, *Intemperantia* simpliciter vocari potest: sunt enim ista nomina generalia, & quantum est ex vi suæ significationis excessum æque ac defectum comprehendunt, sed usu magis defectui accommodantur, eo quod populus magis agnoscat. Vitium in defectu, quam in excessu, ut *Tract. 1. de Justitiâ Num. 4.* diximus.

Impietas autem duas etiam habet partes: altera Deum non recte agnoscit, altera non recte colit: Et quantum quidem ad priorem partem attinet, ea rursus in quatuor membra dispesci videtur, nempe *Cacozeliam*, *Idolologiam*, *Atheismum* & *Hæresin*.

Cacozelia Deo tribuit, quod ei non convenit: quod cum plerumque ex zelo aliquo imprudenti contingat, generatim *Cacozeliam* vitium illud vocavimus: quale est eorum, qui Deo corpus & humanam figuram adscripserunt, ut inter *Philosophos*

phos Epicurus, & inter Gentiles vulgus omne. Huic opponitur proxime

Hæresis, quæ Deo demit & aufert, quod ei competit, ut cum cura rerum humanarum, providentia & regimen Deo auferuntur, quod itidem fecit Epicurus.

Idolologia est, cum creaturæ alicui tribuimus, quod Deo proprium est.

Atheismus denique, cum Deus ipse tollitur, & attributa ejus in brutam aliquam naturam referuntur: qualis est eorum, qui omnia hæc sine cognitione, sine sensu facta dicunt, naturali quadam necessitate, cujus demonstrationem ignoremus: ut angulos in triangulo æquales esse duobus re-ctis, necessum est, necessitate, ut illis videtur; brutâ & à nullo intellectu dependente: sed quam illi falsi sint imperiti & stulti in Metaphysicâ nostrâ 3. parte, quam Theologiam vocavimus, satis ostendimus, & facile etiam hic ostendi potest ex iis, quæ circa Dei inspectionem notavimus.

Quatuor hæc vitia consistunt in errore aliquo Intellectus, sed vincibili, adeoque secum trahente peccatum in voluntate: nam si quis ex ignorantia invincibili hic aliquid erret, ei vitia impingenda non sunt. Similiter si quis non errore, sed libidine ductus falsa de de Deo censuerit, is quidem

40 *Impietas & Superstitio, §. II.*

dem Impius est, sed Impietas ejus in hoc genere non versatur, quod Theologia opponitur, sed in altero genere, quod *Idolatrias*. Interim peccant hic Poetae, qui Diis rixas, pugnas & vulnera, nefariasque libidines adscribunt.

Alterum Impietatis genus versatur in malo ac perverso cultu Divinitatis, vel etiam nullo: oriturque facile ex præcedentibus vitiis: nam Cacozele qui laborant, facile Deum venerabuntur iis rebus, & Adorabunt, quibus ille Adorari colique non debet: qui vero Idolo Divinitatem adscripserit, facile fit Idololatra, & loco Dei, creaturam aliquam suspicit & veneratur: Atheus vero Deum non colet, utpote quem nullum agnoscit, aut cum natura brutâ & non Intelligente confundit: Hæreticus vero, qui à Deo aufert, quod ei proprium est, similiter defectivum aliquem & mancum cultum Deo adhibebit.

Cum vero quatuor partes sint Theologiae, singulae etiam habent opposita vitia: nam Adorationi opponitur & contemptus Dei, & Blasphemia & Irrisio atque Ludibrium & similes nefariae atque horrendae humani animi petulantiae: dum non laudant eum, sed vituperant: non admirantur, sed opera ejus velut solita, abjecta, & quæ

Impietas & Superstitio, S. II. 41

& quæ familiaritate suâ viluerint, sine consideratione suâ transmittunt, nec dignum illum, seque minores ipso nunquam cogitant.

Devotioni autem opponitur Ejuratio Dei, quæ quamvis aliter interpretetur & , in omni vitio locum habeat (Philautia enim Deum excludit, & hominem ad seipsum ordinat, sibi que ipsi devotum facit) tamen est aliquod peccatum, quo formaliter hoc fiat, & illud proprie huc pertinet.

Precibus opponitur earum neglectus, & perversus usus, cum scil. Deum non precamur, ut Obligationibus nostris pares esse possimus; sed id ex nobis ipsis habere volumus: aut Deum ob felicitatem nostram, eaque quæ illam constituere videntur, rogamus.

Similiter Gratiarum actioni & neglectus, cum eas non persolvimus; aut malus usus opponitur, cum V. G. Deo gratias agimus ob res malas, puta vindictam ab hoste desumptam, opportunitatem turpitudinis, incestus & scelerum, item impunitatem apud homines & similia.

S. II. Re-

§. 12. Religio.

Religio est ea pars Pietatis, quæ quod humanâ Ratione attingere non potest, sub Divina revelatione amplectitur: Culmen ergo Pietatis est, & summus apex rerum moralium (nec enim Virtus altius ire potest, quam ut supra duces suam nempe Rationem quodammodo ascendat, & se totam in Deo refundat) periculosus tamen & horribilibus præcipitiis circumseptus: ut merito dictum sit; præstare homines nullam habere Religionem, quam talem, qualem habent plerique.

Religio innititur existimationi illi, quam de Deo & ejus Ineffabilitate concepimus: cum enim inspiciendo ipsum clare viderimus, multa ab eo circa nos facta esse, quorum modum nullum cogitatione ac Ratione nostra assequi possimus; facile persuasum habemus & intelligimus, fieri posse ut multa alia sint ineffabilia, quæ præstare potest, quæ tamen nos & secundum se, & etiam secundum modum suum lateant; eorum tamen posse illum cognitionem aliquam impartiri, si non omnium, ast quorundam, quæ ad nos maxime pertineant: qua cognitione, non quidem Ratione assequamur aut ipsa, aut modum eorum,

eorum, quæ nobis revelaverit; sed mere testimonio & auctoritate ejus. Sed cum res hæc admodum periculosa sit (ut diximus) & infinitis illusionibus, imposturis ac fraudibus obnoxia. (quam multis enim Religio sua quæstui non est ! Quam multi vanitate & gloriâ ducti non dicunt, se accepisse à Deo, quæ ipsi confixere ! Quantum non ambitio, quantum non pertinacia, & ejus quod semel receptum est, studium hic valet !) Regulæ quædam præscribendæ sunt, cum quibus tuto possit Pietas in Religionem abire, & non tantum ea, quæ Ratione naturali percepit, sed etiam, quæ Divinâ tantum Revelatione constant, amplecti.

Et prima quidem Regula est, ut id quod sub Divino testimonio ac auctoritate recipitur, nihil habeat in se Deus, ejusque potentiâ sapientia cæterisque attributis indignum : Hinc expunguntur somnia ista & portenta Brachmannorum, Turcarum seu Muhammedanorum, aliorumq; Gentilium & Idololatrarum : continent manifestas inquam aniles insanias, & sæpe turpitudines nefarias.

Secunda Regula est, ut id, quod sub Divina auctoritate recipiendum proponitur, ad nos aliquatenus, imo maximâ ea

parte pertineat : Deus enim non est , qui otiosis occupari nos velit , aut eis , quæ nostrâ non intersunt vacare : unde innumerabiles illi mundi & intermundia , quæ olim Democritus , ac post ipsum Epicurus invexere , cum Ratione non consistunt , multo minus sub Divino testimonio obtrudenda sunt : nihil enim illa ad nos : sufficitque nobis scire Dei potentiam immensam esse , & plura eum efficere , quam nos cogitare possumus ; an vero potentiam impendat alijs alibi hominibus , & in alijs systematibus & mundis condendis , regendis & gubernandis , hoc , ut dixi , nostrâ nihil refert.

Tertia Regula est , ut testimonium illud Divinum , quod propositionibus aliquibus appositum esse perhibetur , signis & miraculis , quæ non nisi à Deo proficisci possunt , comprobetur : alioqui quilibet nobis sua somnia venditabit , & sub Divina Revelatione ac auctoritate obtrudet ; si ergo Deus , quæ ipsi dicunt , pro suis agnoscat , procul dubio ostendet indicio & argumentis irrefragabilibus , ea à se dimansse.

Quarta Regula est , ut intus in mente ac in conscientia , quam evidentissime sentiamus Deum quasi loquentem nobis , dicentemque

temque hæc sua esse, à se proficisci, se eorum esse dictatorem, etiam si Ratione nostra non assequamur ista. Et hæc potissima regula est, & sola etiam sufficit: sed infinitis præstigiis, fraudibus, melancholiis & persuasionibus obnoxia, quæ cautissimè debent, & adhibitis, fufisque ad Deum humillimis precibus, rescari, præsertim vero pure simpliciterque vivendo, nam optimus Dei cultus bonus animus est, ut non Senecæ, sed Dei ipsius Oraculum esse videatur.

His regulis, si rite instructi fuerimus, munita nobis est ad veram Religionem via, quæ Ethices & totius humanæ vitæ summus finis est.

Habet etiam Religio (sicut in genere Pietas) suam Theologiam, & Theolatriam, in Theologia, quæ Deus revelavit, considerantur, in Theolatria, quæ ad suum cultum facienda instituit, expediuntur.

Habet etiam opposita sibi vitia, Impietatem & Superstitionem, quæ hic tanto detestabiliora sunt, quo Religio simplici in Deum Pietate est major & illustrior.

§. 13. Iustitia & Æquitas.

Virtus cum circa alios homines versatur, generali nomine potest vocari **Æqui-**

Æquitas, eo quod illi omnes æquali nobiscum loco habendi sint. Ita scilicet ut tres sint Virtutes particulares, seu tria summa genera Virtutum Particularium. Humilitas (scilicet particularis illa) Pietas & Æquitas: habet etiam Æquitas duas partes, nempe inspicere alium hominem (Proximum ordinarie vocant Christiani) & conspicere eundem, seu pari secum loco illum habere.

Quantum attinet ad inspectionem proximi, facile videmus eum ita à natura comparatum esse, ut nos sumus: eodem modo huc ignarum appulisse, hinc abripi, hic agere dependenter prorsus ab alterius alicujus, qui Deus vocatur, arbitrio, proinde easdem habere illum Obligaciones, quas nos habemus: nec de inspectione ejus plura dicenda sunt, cum illa satis intelligantur ex iis, quæ de nostrum ipsorum inspectione diximus.

Altera pars Æquitatis est præcipua, & unde Æquitas nomen suum habet, quæ est proximum pari nobiscum loco dignari. Ex quo proxime sequitur Obligatio opis & auxilii in eum conferendi: sicut vero nobis nihil agere licet, nisi quod ad Obligaciones nostras pertinet, sic nec jurare proximum in aliquo licet, nisi quod faciat.

faciat ad Obligationes ejus. Omne nostrum auxilium, quo ei succurrimus, eo semper spectare debet, ut iis Obligationibus suis satisfaciat: turpissimum hic est & omnino servile, auribus ejus aliquid dare libidini ejus & oblectamenti servire: adferre ea, quæ faciant ad honorem & divitias, imo ad consolationem, si ibi sistatur, seu in eo stetur: possunt enim hæc subinde recte fieri, si ad Obligationes ejus referantur: Jubet igitur Æquitas, ut, quia vivere debet proximus, & manere hic donec à Deo revocetur (sicut & nos) ei in Obligatione illâ persolvendâ opitulemur, si in aquas inciderit, salvemus, si in morbum, sanemus, si victus ei non superet, suppeditemus, de conditione vitæ acceptandâ, moneamus, suadeamus, juvemus &c.

Si interim occurrat casus, quo aut nos nostræ, aut ille suæ Obligationi satisfacere non possit, potius nostræ vacare debemus, quam ejus Obligationi: ut si in aquam ambo incideremus, habeamque satis, quod pro me agam, ille deferendus est, non quia caritas incipit à seipso, ut vulgus dicit, seu quia meipsum magis amare debeo, magisque mihi studere, quam alii alicui (quod ineptum est, & manifestè
Philau-

Philantiam seu peccatum inducit) sed quia
meæ Obligationes fortius me obstringunt
ad exequendum eas, quam ad promovendam
executionem Obligationum, quas
alii homines habent, ut per se notum est:
& facile exemplo legum humanarum in-
telligitur: cum enim pluribus aliquid in-
junctum est, magis tenemur pro se quis-
que quod injunctum est exequi, quam so-
cium in exequendo juvare.

Æquitas illa generalis in Æquitatem
strictè dictam & Justitiam distinguitur.

Justitia (scil. particularis hæc, non vero
Cardinalis de quo Tract. 1.) tribuit illud
proximo, quod ei stricto jure debe-
tur, seclusâ scil. omni gratiâ & favore er-
ga ipsum: sic operis mercedem suam,
emptori mercedem, venditori pretium
persolvendum est, standum contractibus
& promissis, non ex nudâ Æquitate, sed
ex Justitia, in qua favor nullus erga pro-
ximum implicatur; Æquitatis vero, &
non Justitiæ est studioso homini, & dili-
genter opus de quo contractum erat ab-
solventi aliquid adjicere ultra summam,
quam licitatus fuerat: quia hic elucet fa-
vor aliquis & gratia in proximum: quam-
vis nulla sit, si ad legem Dei comparetur,
ea enim stricto jure opus hoc exigebat.

Sub

Sub *Justitia* commutativâ & distributi-
va, sub *Æquitate*, liberalitas, clementia,
comitas cæteræque illæ in indefinitum fe-
re *Virtutes* continentur, de quibus hic non
est dicendi locus, sed ad *Politiam* pertinet
illa tractatio.

Vitia opposita *Æquitati* sunt iniquitas
in defectu, & amor perditus in excessu,
quæ facile ex dictis intelliguntur.

COLLE.